



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

68. De acedia, quid sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

De Acedia, quid sit.

CAPVT LXVIII.

VLtimum capitale vitium, acedia est. De qua primùm percipere oportet, quid sit. Potest autem sic describi: *tristitia de bono spirituali, vt ad ipsum hominem attinet.*

In cuius declarationem aduerte, bonum spirituale vocari hominis beatitudinem, quæ in fruitione Dei consistit; & ea bona quæ ad ipsam consequendam ordinantur; vt, charitatem, virtutum opera, diuina præcepta, sacramenta, & alia huiusmodi. Hæc bona tripliciter possunt considerari.

Vno modo, vt à Deo procedunt, vt ab omnium bonorum principio, & auctore. Alio modo, vt in proximis nostris sunt. Tertiò, vt ad nos ipsos etiam pertinent.

Aduerte rursus, quòd, cum per charitatem non solum diligamus Deum, sed etiam proximum, & nos ipsos; & charitatis sit, gaudere de bono illius, quem charitate diligimus, fit, vt charitas inclinet nos ad gaudendum de huiusmodi bonis, secundum illam triplicem considerationem.

Primò quidem, vt à Deo sunt: qui enim diligit Deum, gaudet de bono opere ab ipso Deo procedente, quatenus eius potentia & bonitas, iustitia, sapientiaque manifestantur. Similiter qui diligit proximum, gaudet de bono spirituali ipsius, quatenus per ipsum bene se habet, & disponitur ad suum finem consequendum, vel quia iam ipsum est consecutus. Qui etiam diligit se propter Deum, gaudet consequenter de tali bono spirituali, quòd ad ipsum pertinet, & gaudet se ad Deum ipsum ordinari per tale bonum, propter quem scilicet Deum diligit semetipsum. Aduerte rursus, iuxta triplicem eandem boni spiritualis considerationem, quòd triplex potest esse tristitia in homine de tali bono, & vnaquæque est contra charitatem, vel qua diligendus est Deus, vel qua diligendus est proximus, vel qua ipse se debet diligere propter Deum.

Prima tristitia est, qua homo contristatur de bono spirituali, vt à Deo est, quasi nolens ipsius manifestationem & gloriam; & ista tristitia est pessima, & nascitur ex odio Dei, quòd est grauissimum peccatorum, & maximè in damnatis reperitur.

Secunda tristitia est, qua homo tristatur de tali spiritali bono, ut est in proximo, quasi nolens ipsum proximum tali bono præditum. Et hæc est graue peccatum; & dicitur inuidia gratiæ fraternæ; & est vnum ex peccatis contra Spiritum factum, quæ dicuntur non remitti, quia difficile remittuntur. Talisque inuidia, ex genere suo, est mortale peccatum; & ad sit consensus rationis, & grauitas materiæ, de facto est mortale.

Tertia tristitia est, qua homini displicet bonum spirituale, qua parte ad ipsum pertinet, quasi nolendo & fastidendo se capacem talis boni, & se ad id ordinari: tristatur enim de beatitudine, de diuinis præceptis, de sacramentis, de bonis alijs spiritualibus, quasi volens, ne ad ipsum pertinerent. Hæc tristitia dicitur acedia, qua homo velut nauseam habet rerum spiritualium: & nascitur præsertim ex duplici capite.

Vno quidem ex nimio affectu, quem homo habet rerum temporalium, & huius mundi delectatione.

Altero, ex terrore laborum & studiorum, quibus spiritalia bona sunt consequenda. Et hoc secundum, ex priori nascitur: nam per prius perditur gustus spiritualium: gustu perditto, statim res laboriosa fit; ut in his, qui vescuntur cibis nullum saporem habentibus. Acedia autem nomen est Græcum; *ἀκνδία* enim dicitur sine labore, aut sine cura; nam *κνδ* Græcè curam vel laborem significat: vnde Latine dicitur acedia, illo *a* mutato in *e* longum. Aliqui putant esse nomen Latinum deriuatum ab *acidus*, *a*, *um*, id est frigidus; quia sicut frigida non facile mouentur, ita accidiosus ex nimia tristitia torpescit: hæc enim nomina ab affectu sumuntur: sed melius puto dici, quod diximus, putà esse Græcum. Vide S. Thom. 2. 2. quæst. 35.

Quale peccatum sit acedia.

CAPVT LXIX.

Acedia, ut habet S. Thom. loco citato, ex genere suo est mortale peccatum, cum sit contra charitatem, ut superius declarauimus. De hac dicitur 2. Cor. 7. *Tristitia huius seculi mortem operatur*, fit tamen veniale dupliciter.

Vno modo, quando non accedit plenus rationis consensu.

157